



Q. F. F. Q. S.
COLLEGII PUBLICI
DISPUTATIO XXII.
Exhibens
SELECTIORES CONTRO-
VERSIAS
Ad
LIBR. XLIIX. PAN-
DECTARUM
Quam
In ALMA FRIDERICIANA
Sub PRÆSIDIO
DN. JO. SAMUELIS STRYKII,
J. U. Doct. Prof. Publ. Ordinarii, &
Facultatis Juridicæ Assessoris
In AUDITORIO PUBLICO
Die Decembr. A. R. S. M DCXCV.
placidæ disquisitioni
submittit
JO. CHRISTIAN Scherbaum / Durlacens.
HALÆ, Literis SALFELDII, Regiminis Elec. Brandenb. Typ.



SELFCHEIRE GONTRIO
LIBR. DE GELATRIE
DNI IO. SAMUELI TRYKII
P. Log. H. R. O. 1618.
Dni. Dm. 15. R. 2. V. D. C. X. C. N.
JO. CARSTIAN. SCHMIDT. D. RECUE





VI. DE

B. C. D.

Thes. I.



Mnia crima, qvæ principaliter tendunt
in offendiam Dei, publica esse, communis
Dd. sententia est. vid. Gomez. T. 3. Resolut.
tit. 1. n. 1. Sed si supponamus pro fundamen.
to, quod illud in specie delicti publici no.
mine veniat, per quod magis læditur Resp.
non sine ratione de illa Dd. sententia dubi-
tare licet, cum Anthon. Matthæi de Crimin. ad h. libr. 48. tit. 1. n. 4.
blasphemiam tamen & magiam cum eo etiam excipimus.

Th. II.

Accusatorem nec diem nec horam criminis admissi libello
comprehendere teneri patet ex L. 3. in fin. pr. ff. de Accusat. quod
tamen limitant Dd. nisi hoc petat Reus, v. g. quod innocen-
tiā facile asserturus sit, si probare possit se ea die vel hora
abfuisse. Id tamen quare juri incognitum dicat Wissenbach.
Disp. 33 th. 14. non omnino patet; sane ad defensionem spe-
ctat; hinc in praxi etiam communis sententia approbata.

Th. III.

Prima in criminali judicio quæstio esse solet, an Reus in
carceres conjiciendus, de quo Dd. in L. 1. & tot. tit. ff. de Custodia &
Exhibit. reor. prolixè agunt. Communis sententia est, tum
de num carceribus reum detinendum, cum & de fuga suspe-
ctus, & pœna capitalis vel corporis afflictiva immineat. Quod

A

tamen

tamen recte ita explicat Brunnem. in *Comment ad L. i. ff. d. t. n. 4.*
ut tum demum verum sit, quando certa pœna afflictiva cor-
poris certo imminet. Sane arbitrium judicis hic non exclu-
dendum, Farinacius *qv. 33. n. 60.*

Th. IV.

An liceat apparitoribus resistere, si processus injustus fit,
queritur? Communiter affirmant, quod tamen non aliter
intelligo, quam si irreparabile damnum immineat, alias enim
via juris innocentiam suam quis docere tenetur. Ut & illud:
licere resistentem occidere, si juste apprehendatur, caute in-
telligentum, si scilicet alia ratione is apprehendi non
possit.

Th. V.

In crimine lœfæ Majestatis inter alias pœnas etiam hæc
statuta, ut liberi ejiciantur e Rep. infamia notentur, ac intesta-
biles fiant *L. 5. §. 1. C. ad L. Jul. Majest.* Quod cessare quidam vo-
lunt in liberis ante reatum natis, de quo tamen dubito, cum
& illi ex amore connato præsumantur vindices necis pa-
ternæ.

Th. VI.

Cum filiabus reorum Majestatis successio concedatur,
quia in eis non metuitur exemplum sceleris, queri posset,
quid sentiendum si mater sit perduellis, an tum idem in filia-
bus, quod alias in filiis obtineat? Zœsius *ad ff. tit. ad L. Jul.*
Maj. n. 22. in fin. affirmativam defendit: nos vero contrarium
defendemus.

Th. VII.

Singulare est in hoc crimen, quod & contra mortuum
possit procedi in judicio, contra regulam: crimina morte ex-
pirant. Neque hic dubium facit, quod contra mortuum sen-
tentia dictari non possit; nec enim condemnatur mortuus, sed
decla-



declaratur tantum, eum hoc crimen commisso. Requiritur ergo ut mortuus legitimis modis sit convictus post mortem, nec heredes imputatum crimen purgaverint.

Th. VIII.

Non committi adulterium in ministram cauponæ quæ intemperantia pacula hospitibus præbuit, decisum reperitur in L. 29. C. ad L. Jul. Adult. Id vero cum juri divino contrarium, merito rejiciendum esse, recte alii existimant. Quanquam & dici possit, saltem prohibitum esse, accusationem ex ordinariis adulterii legibus instituere, non vero simul Magistratui denegatum ex officio tales personas puniendi. Eo tamen argumentum Legis eleganter applicari potest, quod domina cauponæ & tabernæ non inter infames personas referenda.

Th. IX.

Lenocinii crimen incurrere illum maritum qui de adulterio uxoris quid accepit, Ulpiani sententia est in L. 2. 2. ff. d. t. Id vero non aliter intelligendum, quam si in committendum adulterium consenserit spe lucri: quod si enim pecunia transactionis causa detur marito super perpetrato jam delicto, absque Lenocinii nota eam accipit. Brunnem, ad d. L. 2. n. 2.

Th. X.

Si Pater filiam in adulterio deprehenderit, eam simul cum adultero occidere potest L. 20. & 22. ff. d. t. Sed queritur, si filium deprehenderit an & eum liceat interficere? Non destituitur fundamentis negativa, siquidem & Leges de filia tantum loquuntur, & in filio non tanta est turpitudo. Sane si filius fuerit emancipatus id minus dubii habet L. 21. ff. d. t.

A 3

Th.



Th. XI.

Vis publica a Privata non nisi armis distinguitur. Cum ergo armis alter, in primis in loco publico, invaditur, crimen vis publicæ est, a quo tamen differt. Crimen fractæ pacis publicæ, ad quod tria requiruntur (1) vis major quam cui resisti potest; (2) vis armata & quæ coadunatis hominibus fit, (3) dolus ac destinata voluntas. Illius pœna non est major relegatione, in primis si privato a privato facta & aliæ circumstan-
tiæ non concurrant. Carpz. Pr. Crim. qv. 40, n. 36. Hujus vero pœna est Capitalis.

Th. XII.

Obsessores viarum publicarum, quod vulgo vocatur die Wegelagerung / capite puniuntur, sed hoc intelligendum si extra oppida in vicis, vel pagis, vel sylvis, juxta itinera publi-
ca se occultaverint prædones. Cum quo non confunden-
dum das Wormarten/ quando propter rixas, privatorum alter
alterum in civitate, noctu in primis expectat, atque eum ag-
greditur. Hoc in crimen fractæ pacis publicæ non incidit,
& longe mitius puniri solet. Carpzovius d. qv. 40. n. 39.

Th. XIII.

Lege Cornelia de Sicariis illi capite plectuntur, qui ali-
quem interfecerunt, modo animus adfuerit occidendi L. i. §.
3, L. 14, & L. 17. ff. d. t. Hoç vero non strictissime accipiendum,
cum alias pleraque homicidia manerent impunita, sed cum
aliqua latitudine, ita ut nocendi animus sufficiat, si sc. al-
ter sciat, vel tamen scire possit, ex illo actu mortem se-
qui posse. Nihil ergo interest sine vulnerare alterum sine
occidere volueris, ad neutrum enim tibi jūs competebat.
Huc etiam spectant exempla occisorum in duellis,

Th.



Th. XIV.

Idem autem hic est sive quis ipse interficiat, an id alteri faciendum committat. Sed illud queritur, si mandatarius ab illo quem occidere debebat enecetur, an mandans poena ordinaria affici possit? Zœsius in Comment. ad Pand. tit. ad L. Corn. de Sicar. n. 14. negativam tuetur, quia mandans non intendit mortem mandatarii. Sed nos tuto contrarium statuimus. Sufficit enim mandantem habuisse animum occidendi, effectumque esse secutum:

Th. XV.

Latronem tamen impune occidere possum L. 4. C. d. t. quod homicidium; ob defensionis necessitatem, necessarium dicitur. Conf. L. 3: ff. de J. & J. Quod generaliter verum est, ubique vitam meam contra injustum invasorem aliter defendere non possum. Sed queritur, qui in flagitio v. c. adulterio deprehensus, si ei a marito mors certa immineat, an ipsum interficere queat? Negamus, quia ipse se in necessitatem conjectit, ut sic Zœsius d. l. n. 36 dubitare necessum non habuerit. Idem dicendum de casu si autor rixæ postea in extremam necessitatem conjiciatur

Th. XVI.

Eum qui in duello alterum occidit, poena ordinaria afficiendum, nemo saniorum dubitat. Sive provocans sit, sive provocatus, quamquam dissentiat Gomez. Var. Res. T. 3. c. 3. n. 12. Sed non abque ratione Wissenbachius Disp. 35. th. 16. exceptionem format in eo casu, si invasor concedat alteri licentiam dimicandi, alioquin eum occisurus sine dimicatione. Tum enim pro necessario homicidio id pariter reputandum.

Th. XVII.

An ad necessariam defensionem requiratur, ut primum iustum quis expectet, vulgata & quotidie obveniens controversia est? Affirmantium opinio dudum proscripta



scripta a sanioribus eruditis , quod eleganter deducit Pufendorf. *J. N. & G. I. 2. c. 5. §. 8. 9.* Ergo si baculo alter me percutere intentet, cum & hic i^ctus discrimin vitæ inferre, vel tamen ad defensionem incapacem me reddere possit, optimo jure eundem prævenire licebit.

Th. XIIIX.

An bannitum occidere cuilibet impune liceat, queritur? Ve-
rior est negativa, quamquam imperita plebs, contrarium sen-
tient; capitamen a quovis potest & ad Judicem trahi. Miratu
igitur dignum exemplum est, quod Oldenburgi Anno 1691.
Mense Augusto se Iuis vidisse oculis testatur Dn. Præses, ban-
num in quosdam publico diplomate decretum fuisse, sie seynd
in die Acht erklaret und Vogelfrey gemacht/cum expressa clausula,
ut quilibet potestatem eos interficiendi habeat.

Th. XI X.

Summe ebrium, si in ebrietate aliquem, vel vulneraverit,
vel occiderit, non posse ordinaria pœna affici, nemo nisi abs-
que omni ratione negabit. Multo magis excusatur, si alter,
qui vel occisus, vel vulneratus est, ejus accessum v. g. domum
intrando, evitare potuerit : imo hoc casu nec impensas cura-
tionis vulneratum salva conscientia ab altero repetere posse,
pro certissimo habemus, huc enim pertinet vulgatum : Einen
trunkenen Menschen soll man mit einem Fuder Heu aus dem Wei-
ge fahren.

Th. XX.

Est atrocissimum crimen Parricidium, & quod merito tam
de jure civili, quam de moribus maximis pœnis coercetur,
dum reus culeo insuitur, ac ei canis, simia, vipera & gallus gal-
linacus adjungitur, & ita in aquam projectus suffocatur. Imo
in hoc etiam delicto conatum puniri ex *L. I. ff. de L. Pomp. de*
Parricid. & L. Un. C. d. t. manifesto constat. Quod an hodie
generali consuetudine sublatum, queritur? Videtur Dn.
Brunnem. in *Comment. ad d. L. I. n. 1.* negativam staruere. Nos
tamen affirmativam defendemus cum Carpzov. *Pr. Grim. qu. 17.*

Th.



Th. XXI.

Si quis falsos codicillos fecerit, posse de crimine falsi conveniri, etiamsi illis usus non fuerit, apparet ex L. 8. C. ad L. Cornel. de fals. Quo fundamento nititur Dd. assertio: quod ad crimen falsi sufficiat, qvod falsum nocere possit. Farinacius qv. 150. n. 355. Nec est qvod urgeat Carpzovius qv. 93. n. 13. conatum non esse pari pœna puniendum cum effectu. Nam fabricatio instrumenti per se crimen perfectum est: Et potuit ipsi defecisse occasio utendi. Aliud ergo si, utut eam habuerit, usus tamen non fuerit.

Th. XXII.

Est prorsus famosa L. querela 12. C. d. t. qua terminus statuitur, accusationi criminum, ita ut post 20. annos non concedatur. Sed notanter dicitur in Lege fere: ut scilicet excipiantur crimina quæ breviori tempore excluduntur. Sed quid ad L. 19. §. 1. ff. d. t. respondendum, ubi accusationem suppositi partus nulla temporis præscriptione extingvi dicitur? Re ob specialem legis dispositionem ibi exceptionem formandam; nec enim subscribimus Anthon. Matth. tit. 19. c. 4. n. 13. existimanti, textum loqui de præscriptione temporali & quæ brevior est vicennio, cum illam explicationem generalitas verborum non admittat. Pariter exceptio in homicidii crimine, saltem ex æquitate est formanda; cum generale Dei præceptum, quod homicidia morte punienda, non patiatur restrictionem ex lapsu temporis.

Th. XXIII.

In monetæ adulteratores pœna vivi comburri statuta in L. 2. C. de fals. mon. An vero illis etiam, qui falsam monetam dolo expendunt, eadem pœna dictanda, ingens questio est? Affirmativam amplexus est Carpz. qv. 42. n. 26. ubi fundamentum in constitutione Carolina Art. III. quærit. Cum vero illud

B

nobis



nobis perquam durum videtur, contrarium defendemus, d.
art. intelligentes de casu, si expendens pecuniam conscius
criminis fuerit, & ex consilio pseudomonetarii id faciat.

Th. XXIV.

In *L. ult. C. d. t.* rescripta, quibus jus cūdendæ monetæ
privatis conceditur, annullantur. Quod si hodie adhuc a
nostris observaretur Principibus, procul dubio non tot querelæ
de monetæ depravata bonitate excitarentur.

Th. XXV.

Lege Julia repetundarum magistratus prohibetur pecu-
niā accipere, ut quid faciat vel non faciat, quod ex officio
facere vel omittere tenebatur *L. i. ff.* & tot. ad *L. Jul. Repetund.*
Hic vero queritur, annon lata jamtuni sententia, remune-
randi causa, judici quid accipere liceat? Decian. *l. 8. qv. 40.*
n. 9. affirmativam tuetur, sed nos negativam defendemus ex
L. ult. C. d. t. qua ne quidem deposito officio judicis accipere
quidquam licet, multo minus eo adhuc durante,

Th. XXVI.

Qui annonam cariorem facit, teneri *L. Julia de An-*
nona satis manifestum est per tot. tit. ff. ad *L. Jul. de Annona*,
quo sine dubio etiam referendi dardanarii die Korn-Juden
Conf. L. 6. ff. de Extraord. Crim. Quæ crima adeo odiosa sunt,
ut & mulieri accusatio permittatur *L. ult. §. ult. ff.* ad *L. Jul. de Ann.* Et tales dardanarii, qui supprimendo frumentum,
caritatem inducunt, die Auffräuffer, non modo ad venditio-
nem cogendi essent, sed & gravissimis pœnis coercendi.

XXVII.

Si quis pecuniam dederit pro consequendo officio civili,
crimen ambitus, si pro officio Ecclesiastico crimen Simoniae
committit. Sed quid dicemus de emptione præbendarum,
annon



annon illa notam quandam meretur? Excusare ab iniuitate
possumus, liberare non possumus.

Th. XXIX.

Senatusconsulto Turpillianio notabatur accusator, sine
abolitione desistens L. i. §. i. ff. Ad SCtum Turpillian. idem quan-
quam hodie moribus sublatum dicat Wissenbach, fundamen-
to tamen destituitur: Utut enim accusations hodie sint
rariores, quod si tamen quis accuset & desistat temere, non
impunita foret ipsius malitia.

Th. XXIX.

Absentem non esse damnandum, bona tamen ejus an-
notanda constat ex L. i. pr. & §. i. ff. de requirend. & absent.
damn. quæ bonorum annotatio hodie quidem adhuc in usu,
verum non ea intentione, ut fisco applicentur, reo intra annum
non reverso, sed ne quid ad fugitivum transferatur. Brunn.
ad L. i. C. d. t.

Th. XXX.

Solet hic agitatissima illa controversia a Dd. tractari,
utrum confiscatio bonorum adhuc locum habeat?
Plerique id negant, excepto unico crimine perduellionis.
Carpzovius hæsitat & ab initio quidem qv. 135. n. 27. pariter
idem generaliter statuit, sed postea se restringere videtur,
nihil tamen certi asserens. Nos vero tam de Jure civili, quam
de Legibus Imperii sc. Const. Crim. art. 218. plures adhuc
casus esse, ubi confiscatio bonorum hodienum obtineat, de-
fendemus.

Th. XXXI.

Nihil tam feverum tam crudele & inhumanum esse vide-
tur, quam hominem conditum ad imaginem Dei, tormentis
lacerare, inquit Jo. Zanger. Tr. de quæst. Cap. i. n. i. inde non
facile a judice tortura decernenda, si alia via facti veritatem
elicere possit, in quo plerumque peccari, testatur Dn. Brunnem.
Proc. Inquis. cap. 8. n. 14. An vero unius testis assertio, sufficiens
indictum sit, quæritur? Respondemus regulariter negative
nisi



nisi is testis omni exceptione sit major & de ipso crimine deponat. Non obstante L. 20. ff. de quæstion.

Th. XXXII.

Sed quid si plura indicia concurrant , singula per unum testim probata , an quæstioni locus ? Negat Zanger. d. tr. c. 3. n. 35. Affirmat vero Carpzov. qv. 123. n. 55. Sed illius sententia magis convenit cum *Const. Crim. art. 30.* & verior ac tutior est : quanquam etiam Carpzovius se corrigere videatur d. l. n. 58. certa requisita supponendo , quæ ejus opinionem æquiorem reddunt.

Th. XXXIII.

Neminem mutare sententiam suam posse Callistrati assertum est in L. 27. ff. de pœn. Pœna igitur a Judice semel dictata, eandem mutare non potest, etiamsi innocentia rei appareat. Cujus ratio in eo consistit , quia judex lata sententia desinit esse judex. A Principe igitur restitutio petenda.

Th. XXXIV.

Est saluberrima constitutio, quam Theodosius loco pœnæ Ecclesiasticæ ab Ambrosio ipsi dictatæ, promulgavit in L. 20. C. de pœn. ut, si Princeps severius animadverti jusserit, per mensum pœna differatur. Cui sententiæ non obstant L. 18. C. d. t. & L. 5. C. d. Exhib. reor qui textus de sententia a Judice , non a Principe lata loqvuntur.

Th. XXXV.

Non esse delinquentes in facie notandos, idem Constantinus sancivit in L. 17. C. de pœn. addita eleganti ratione : quo facies, quæ ad similitudinem pulchritudinis est cœlestis figurata, minime maculetur. Quod tamen ad abscissionem aurium non est extendendum.

Th. XXXVI.


Occasione tituli de *Cadaveribus punitorum* quæritur, quid de consuetudine, qua corpora suspensorum in patibulo relinquuntur, sit judicandum ? Subscribimus omnino B. Brun- nem. in proc. Inquis. c. 10. n. 33.

KC 538

X2615744

Sep 99
VDA





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Centimetres
Inches

Q. F. F. Q. S.
COLLEGII PUBLICI
DISPUTATIO XXII.
Exhibens
SELECTIORES CONTRO-
VERSIAS
Ad
LIBR. XLIX. PAN-
DECTARUM
Quam
In ALMA FRIDERICIANA
Sub PRÆSIDIO
DN. JO. SAMUELIS STRYKII,
J. U. Doct. Prof. Publ. Ordinarii, &
Facultatis Juridicæ Assessoris
In AUDITORIO PUBLICO
Die Decembr. A. R. S. MDCXCIV.
placidæ disquisitioni
submittit
JO. CHRISTIAN Scherbaum / Durlacensf.
HALÆ, Literis SALFELDII, Regiminis Elec. Brandenb. Typ.